





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-540816-p0002-7

DFG

**DISPUTATIO JURIDICA**  
**INAUGURALIS,**  
Theorico - Practica  
**De 1683**  
**MONOPOLIIS,**

*Quam*  
SUB PRÆSIDIO UNIUS DEI TER OPT. MAX.

Ex

DECRETO & AUTHORITATE

*Magnifici, Amplissimi, Consultissimiq;*

**JUTORUM ORDINIS,**

in Inclytâ Electorali quæ est Duisbur-  
gi Clivorum Academiâ,

**PRO**  
**GRADU DOCTORATUS**

Summisque in U T R O Q U E J U R E Honoribus  
ac Privilegiis ritè legitimèque  
consequendis,

*Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit*

**WILHELMUS PETRUS DEVENS, Phil. Doct.**  
**ASSINDIA - GUESTPHALUS.**

*In Auditorio majori die ij. Decembr.  
horis consuetis.*

---

DUISBURGI ad RHENUM,  
Apud FRANCONEM SAS, Academiæ Typogr.  
Anno M. DC. LXXXIII.

6 152



DISPUTATIO IURIDICA  
IN AURELA

THEOLOGICO-PHILOSOPHICA

# МОНОПОЛИЯ

СУБ ПРЕЗИДИО УНИВЕРСИТЕТА ОТ МА

ДЕСЯТОГО АОГУСТА

САНКТ-ПЕТЕРБУРГА, ГЛАВНОГО ГУДИЦКОГО

# ДОКТОРИУМ ОРДИНИЯ

ВЪ ДѢЯТЕЛЬНОСТИ ДИСПУ-

ТІЧІЯ СІДІВСЬКІЙ

ПРОФЕСІІ

САДОВО-ДОКТОРАТА

САНКТ-ПЕТЕРБУРГУ І УАХОВІ

ДЕ ПІДЧЕГІСТІЧЕ І ОПІЧНІЧЕ


КОЛЕДЖЕВІСЬ

ПІДЧЕГІСТІЧЕ І ОПІЧНІЧЕ ВІДДІЛІВ

САНКТ-ПЕТЕРБУРГУ ДЕВАНС, ПІЛІ, ДЕ

АСАНДІЯ · ГЕСТАНДІЯ ·

ДІСІЧІС · ДІСІЧІС · ДІСІЧІС ·



ДОСЛІДЖЕННЯ РАННІХ

АБІН ЕРЛАНІСА, АКАДЕМІК ТУБОГІ

АПОЛІМ, ДІЛXXXIII.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,

Ad

Nobilissimam Legem unicam Cod.

De

MONOPOLIIS ET CON-  
VENTU NEGOTIATORUM ILLICI-  
TO, VEL ARTIFICO ERGOLABORUM, NEC  
NON BALNEATORUM PROHIBITIS, ET  
PACTIONIBUS ILLICITIS.

SECTIO PRIMA

Legis Authorem, Monopoli Originem,  
Descriptionemque continens.



Ngredienti mihi Thema seu Disputa-  
tionem Inauguralem in vestibulo, oc-  
currit illud Justiniani, *in l. ult. Cod.  
de Aleat.* non minus pulchrum quam  
notabile dictum, de usu alearum asse-  
rens: *Antiqua res est, verum pro tem-  
pore abiit in lachrymas, multa millia  
extranearum nationum suscipiens;* Idem quoque de  
Monopoliorum usu effari licet, re sanè antiquissi-  
mâ; sed quæ ob frequentiam & iniquitatem, contra  
omnia legum statuta, calamitoso hoc rerum statu, in  
querulas abiit, multorum, multis in locis, ad extre-  
mitatem

mitatem deturbatorum voces & lachrymas; Ita ut, quod interdictum, desuetudine inumbratum, imperiali remedio illuminandum esse dixeris, præm. instit.

§. 5. Quod illustri sanctione suâ Cod. de Monopol. jam dudum amplexus est Nomotheta noster Imp. Zeno I-sauricus, Leonis I. gener, qui è Ciliciâ de progenie ignobili, originem trahens, in oriente, ad interitum vergente occidentali Imperio, & occupante Italiam Odoacro Herulorum Rege, imperavit anno Virginei partus 474. Quemadmodum fusiùs testatur Fritsch. ad hanc legem in *Commentatione suâ Synopticâ*. Pauca hæc de legis Authore sufficiat indicasse, de ipsa nunc quoque paucula differendi mihi animus est.

§. I. Præmitto nominis etymologiam, unde MONOPOLIUM descendat, & quid significet. In eo convenit inter omnes, quod vox illa origine sit Græca, hodie usu, Latina; qua de re Suetonius scribit: Tiberium in Senatu abstinuisse Sermone Græcō, adeo ut Monopolium nominaturus, prius veniam postularet, quod sibi verbō peregrinō utendum esset, verūm quæ sit vera ejus originatio, non omnium est eadem opinio. *Glossa* deductum vult, à monon quod est, solum, seu unum vel etiam tantum, & pola, quod est venditor, vel πωλιῶν, quod est venditio. *Calv.* in Lexico suo jurid. ἀπὸ τῆς μόνον, unus, & πωλέομαι vendo. *Odofred.* & *Placentin.* ad rubr. C. h. t. à μόνῳ & πώλει deducunt. *Casp. Klock.* in Tractatu suo de Ærar. à voce Græcā μόνον quæ significat, unum, & πωλητὴς quod est venditor, vel πωλή, quod est venditio; seu à verbō Græco, πωλέω, id est vendo. Supra citatus Fritsch. ἀπὸ τῆς μόνης & πωλέως, quod est solus vendo, quæ posterior originatio forte verior; omnes in idem tamen recidunt, quare his

his diutiūs inhārere non est animus, magisque utile  
est inquirere, quid res ipsa sit.

§. II. *Gothofr. ad Rubric. C. de Monop. & Cujac.*  
*in Parat. h. t. dicunt. Quod Monopolium sit jus cer-*  
*tæ mercis vendendæ, quod unus certivè homines si-*  
*bi vindicant, permisso Principis sub onere vectigalis.*  
*Jul. Pac. in Isagogicis suis h. t. Vult esse, jus seu pri-*  
*vilegium, quo fit, ut unus certivè homines, soli pos-*  
*sint certas merces vendere. Alii quos citat Marquard.*  
*de jur. mercat. lib. 4. cap. 6. n. 2. & Caspar. Klock. in*  
*tractat. de Ærar. lib. 2. cap. 26. in princip. descri-*  
*bunt: Quod sit commercium, emendi, vendendi, per-*  
*mutandivè, à paucis vel uno etiam usurpatum reliquis*  
*Civibus præreptum, quâ ratione pretia augmentur, cum*  
*lucro negotiantis, & reliquorum damno. Barbos. in*  
*collectan. hic. Privilegium statuit, ut aliquis solus cer-*  
*tas merces, vel res vendere possit. Sichard. in rubric.*  
*h. t. n. 2. Accursium & alios ridet, ob vocis Mono-*  
*polii compositionem, ejusque derivationem. Mar-*  
*quard. de jur. mercator. dict. loc. & n. 1. definitionem*  
*Klockii præ aliis eligit, asseritque: Quòd Monopo-*  
*lium græca vox, latinè sit solivenditio, si ita liceret*  
*loqui, ut aliás soliloquium; sed tum analogicè magis*  
*solivendum diceretur.*

§. III. Relictis variorum definitionibus, ex dictis  
hanc mihi adorno descriptionem: Monopolium esse  
vetitam mercium ab uno vel pluribus coëmptionem &  
distractionem, ut ad lubitum pretium earum augea-  
tur, cum aliorum injuriâ. Quando itaque quis emit,  
certum quoddam genus mercaturæ in universum so-  
lus, ut pro suo arbitrio vendat, ac pretium statuat,  
Monopolium facere dicitur; Etenim qui Monopo-

lagon

A 3

lium

lium exercet, vera pretia rerum augens suæ deservit avaritiæ & cupiditati, quæ cum omnium malorum radix sit, juxta verba Apostoli Doctoris gentium 1. Tim. 6. v. 9. is juxta can. 7. distinct. 47. bonorum auctori non inhæredit, quia avaritia est idolatria, juxta Paulum ad Coloff. cap. 3. v. 5. Affert præterea Monopola incommodum aliis, dum permutationem ac contratum emptionis & venditionis impedit, & eorum usum cessare facit; Adeo ut Codex noster, & sequentes Imperii Recessus, quos in progressu convenienti loco adducturus sum, rectè Monopolia prohibuerint, & contravenientes pœna affligi voluerint. Facit huc quoque, quanquam non præcisè de Monopoliis loquatur, novissima Justiniani Constitutio, teste Perez prælect. in Cod. b. t. n. 2. Novella 122. quæ frœnum imponit negotiatoribus, mercatoribus artificibus variis, agricultoris & nautis, ne illorum quis plus exigat nomine pretii, vel mercedis, quam vetus consuetudo & mos ferat; Si vero quicquam amplius, quam pro veteri consuetudine requirant, triplicem quantitatem in Fiscum inferre cogentur; sed hæc usus obliteratedavit; optandum sanè esset, ut Principes & Magistratus præuentem hac in re Imperatorem Zenonem, monopolicas negotiations in leg. unic. Cod. de Monop. seriò prohibentem, imitarentur. Item Arcad. & Honor. Impp. in tit. Cod. Quæ res venire non possunt &c. præcipue autem l. 3. eod. & Gothofr. lit. n. ad l. unic. Cod. de annon. & capit. &c. In publicam fraudem contracta commercia damnantes. Utinam quoq; hodièdum veros Nomophylaces, hoc est Legum Custodes, reperire esset, qui fideliter exequerentur hac de re utiliter sancta, maximè hac tempestate, in qua frequentem Monopolii

nopolii usum, novosque ad extremitatem usque emacerandi modos, multis in locis taliter invaluisse testatur experientia, ut miserabilis plebecula penitus ferè degluti marcescat; Audiuntur quidem tristes miserorum quærulæ, non verò exaudiuntur; Onera quæ paulò ante subsidiaria, & extra ordinem imposita sæpius iterata & aucta sunt ordinariorum satis gravem numerum malo reipub. fato non parùm auxisse hodiè experiuntur quamplurimi. Vid. huic applicabile cap. pervenit. I. x. de excessib. Prælator. & Bodin. lib. 9. c. 2. ubi inquit: *Si statuendum mihi sit. Principem mercatorem nolo, sin optio detur mercatorem malo, quam Tyrannum: Et Patritios Viros negotiari, quam prædari.*

§. IV. Non inutile itaque erit, materiam hanc utilissimam, & cum Sichardo hic in Dictatis & Prælection. suis pulchram, à Scriptoribus nostris, siccō pede ferè præteritam, ac fusiore tractatu neglectam, hac pro Doctrurâ Dissertatione, paucis explicare, & pro ingenii modulo extendere, idque auxiliante Christo, juxta exemplum l. 2. Cod. de Off. Præf. Præt. Afr.

§. V. De voce Monopolii, tam latinâ quam græcâ, ejusque definitione in præcedentibus dictum est, videndum itaque, quomodo germani eam in suam, idioma transfundant. In Recess. Imp. de Ann. 1548. & 1577. tit. 18. §. 1. Monopolium vocatur: betriegliche / gefährliche / und ungebührliche Fürkauf. Item §. 2. ejusdem: Schädliche hanthierunge / auf- und fürkauf. Fritsch. cap. 3. n. 14. Eine hanthierung mit einer Wahr/ so ein Kaufmann allein treibt. Ex quibus patet Monopolium esse: Ein Vorkauf / ein Aufkauf. Quamquam non ineptè quoque ad venditionem simul refertur, ut coemptio & cara venditio in injuriam aliorum faciat

ciat Monopolium; Non enim damnandum id Monopolium, si quis usibus suis & necessitati, non ut carius vendat, vel pretium pro lubitu figat mercibus, magnam unius mercaturæ copiam sibi coëmat. Sed tum, quando in eum finem facit, ut plerumque fieri solet, ut carius cum injuriâ aliorum vendat.

### S E C T I O S E C U N D A

#### *De Monopolii divisione, ejusque speciebus seu attributis.*

**D**E Monopolii voce ejusque definitione, in præcedenti sectione dictum est; Videndum nunc in hac præsenti, de ejus divisione; Et quamvis DD. utique in hac dissentiant, nos utilem magis nostram faciemus.

**§. I.** Dividuntur primò Monopolia, si personas species easdem exercentes, in publica & privata *Kekerman.* in curs. *Philos. D.* 31. *problem. 9. cum aliis,* quam divisionem & *Fritsch.* approbat. Publica sunt, quæ à Magistratu, aut totâ aliquâ Universitate, sive Collegio quodam; Privata quæ à personis singulis, & privatis exercentur.

**§. II.** Ratione qualitatis quidam dividunt, in licita & illicita, sive justa ac iusta; de qua justitia & injustitia Monopoliorum nobis disquirendum erit in Sectione sequenti hujus Disputationis.

**§. III.** Faciunt præterea quidam Monopolia varia impropria. Ut etiam Monopolia in propria & impropria dividi possint. Impropria triplici ratione constitui dicit *Sichard.* hic. n. 2. aut enim (1) in rebus, vel mercibus, aut (2) in personis, aut (3) in certo loco



loco consistunt; quamvis in mercibus Monopolium quod sit, propriè dicatur Monopolium, cuius tantum meminit lex nostra, quemadmodum ex primâ ejus parte facilè est colligere, reliquæ Monopoliorum species, tanquam impropriæ, ad eam vel non, vel tantum per consequentiam spectant.

§. IV. (1) In mercibus autem Monopolium fieri dicitur: Cum Mercatores inter se conveniunt, ut quoddam mercaturæ genus Universum, sive mercem singularem totam coëmant, ut eam preciō certō inter se constitutō carius vendant.

§. V. (2) Personæ Monopolium impropriè constituant, si inter eas convenerit, ut hoc vel illud omissant, item hoc modo & non alio agant, nevè certum quid efficiant, perficiantque, uti facile ex secundâ legis parte colligere licet, cuius hæc verba sunt: *Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores, & balneatores, penitus arceantur, pacta inter se componere, ut ne quis quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat &c.* Sic hodiè simile quoddam Monopolium, in Canonicos Ecclesiarum Cathedralium cum Sichard. indicat. & prælect. ad Cod. b. t. n. 4. cadere puto: Statutum & pactum inter se facientes, ne alios in Canonicos admittant, quàm Nobiles, idque contra ritum veteris Ecclesiæ.

§. VI. (3) In loco Monopolium fieri dicitur, si præcipiatur, ut certō locō, & non aliō, res aliqua fiat, vel vendatur, ut cùm statuitur, ne extra districtum quendam certum frumenta sua (licet multò plus, pro iisdem recipere queant) vendenda exponant. Habet

& similem quandam Monopolii improprii speciem, si quidam certō locō, carnes suas emere cogantur, ad quod benē trahi poterit. *cap. significante x. de appellat.* Et si Macellariorum quidam impetrarent privilegium, ut soli carnes vendant, illud tanquam Monopolicum subsistere nequit, vergeret enim in præjudicium reipubl. quia major per hoc foret annonæ caritas.

§. VII. Monopolæ seu Propolæ non absimilem quoque dixeris, qui subditis suis, frumentum, sal, vinum, oleum aut similia in mercatum deferre prohibet, priusquam ipse res suas, sæpè deterioris naturæ & nullius pretii, satis carè distraxerit; hoc namque non exiguum Reipub. perniciem affert, cum aliæ victualia viliori pretiō comparari possent, si ea liberè undecunque inferre liceret. Qua ratione Polonia annonæ impedit caritatem quæ alibi sæpiissimè vehementer ingravescit; Idque Joann. Choisui in discursu quō electionem Henrici Valesii in Poloniæ Regem Gallè descripsit lib. 3. annotavit; cum ait: *Et ce que retiennent parmy eux le bon marche de toutes denrées, est qu'il n'y à point de Monopoles, principalement pour le bled, & pour le vin &c.*

§. VIII. Societatem quoque Anglicorum, quam vocant Adventuriorum, quasi Monopolicam, ideoque publicis Imperii Decretis damnatam esse, nec nos negainus; licet enim coëmptione Anglicorum pannorum, non indistinctè omnibus in Angliâ interdictum fuerit, eoque Adventurarii minus justè Monopolii accusari videantur, non permittunt tamen, ut alii, nedum Germani, in foro pannorum consueto (*Black-witħall*, vel alii: *Black well holla / dicunt*) pannosemant. Hujus societatis monopolicæ institutionem, ipsi Adven-

Adventurarii de se in libro quodam, Middelburgi edito, à Burgundiæ Duce Joanne originem traxisse妖怪tant, primam verò confirmationem à Rege Angliæ Edwardo III. impetratam dicunt. Imprimis autem gloriantur, Henricum IV. Angliæ Rēgem cùm Pannificium anno 1399. in Angliâ efflorere cœpisset, vertuisse ne ex aliis Regnis, illi panni in Angliam importarentur, eorumque confirmasse privilegia, & ejus exemplum ordine Reges secutos esse; sed hæc an ita veritati congrua, ulterius indagare operæ pretium non est, sufficit nobis, quidquid etiam in contrarium afferatur, societatem illam tanquam monopolicam censi.

§. IX. Ad hunc Monopolarum ordinem referuntur & illi, qui multas merces alicujus generis coëmunt, ut eas ipsi adservent in tempus caritatis & inopiaz, animo carius vendendi, & lucrandi; quales sunt annonae flagellatores, seu Dardanarii, vulgo die Korn-Juden / vel etiam Korn-Wölfe / quorum votum atque studium detestabile est, annonam attentare, vexare, onerare, vastare, flagellare, incendere, excandefacere eum in finem, ut soli magnô & gravi pretiô, eam distrahere possint. Et dicuntur Dardanarii à Dardano Mago (ut ex Apuleio constat) qui maleficiis artibus, annonam in granaria sua avertere, mensurasque in admetiendo minuere solitus est. *Adrian. Turneb. lib. 9. animadvers. c. 17.* nominantur quoque Spentagoli, Pantopolæ, Pantametaboli, Sepiasiarii, Danistæ. *Cu. jac. 10. obs. 19.* Gallis Usuriers, qui cachent le bled, & receulent autre provisions, attendants la cherte: *Guil. Böeckel. disquis. 15.* ita Marquard. hic cap. 6. n. 22. Verum non adversatur nobis, quod Dardanarii alios abemptio-

emptione & venditione annonæ arcere non soleant, ac proinde Monopolium exercere dici nequeant; licet enim alios admittant, ipsi tamen Monopolæ & lucriones fraudibus ac technis, alios præveniendo reapse libertatem commerciorum pro lubitu coarctant, & per consequentiam annonæ Monopolia erigere videntur, aut saltem quantum possunt intendunt.

§. X. Monopolas quoque alii cum *Klock. lib. 2. c. 26. n. 4. de ærar.* dici volunt Pistores, qui in Reipub. detrimentum, manus & brachia, cum aceto & oleo lavant, ut panis exsurgat, & major appareat, similemque cum Macellariis seu lanionibus, vel etiam Judæis laneis existentibus, rationem esse asserunt, qui carnes inflant, ut grandiores elegantioresque videantur; quod passim in urbibus contingit, nemine illud vindicante; Consimiliter *Dn. Klockius dict. loc. n. 5.* ait Monopolium committere venditores vini, qui aquaticum pro vino, mistum pro mero, francicum pro rhenano, & pro optimo vino conspurcatum vendunt; quamvis omnes illi, potius homines defraudare, quam Monopolium exercere dicantur.

§. XI. Negotiationem non tantum sordidam, sed & crudelem alii quoque non sine ratione mecum censebunt, quâ usus fuit Antonius Leva, à Carolo V. Imperatore, Mediolano Praefectus; Dum lege prohibuit, ne quis civium triticum moleret, aut panem penes se faceret, sed cogeretur emere à tabernis, ea de re Aquilæ signo insignitos *Besold. d. cap. 3.* cöincident cum hoc statuta, quibus Nobiles subditis suis præcipiunt, ne alibi, quâ in suis molendinis molant, & furnis panem coquant, item ne ab aliis, quâ à se cerevisiam emant; aut si simile quid mandant prohi-

prohibentve, quod antea voluntati propriæ & libero arbitrio relictum fuerat, *Besold. & Klock. loc. citat.* Sic collegium Notariorum, non potest statutum condere, ut nemo recipiat instrumenta, nisi qui sit de eorum numero; Monopolica enim praxis illa meritò vocaretur.

§. XII. Item Mercatorum & Opificum pacta & statuta, quæ communem negotiationum utilitatem ini- què impediunt, tanquam Monopoliis similia, atque ad finia, quasi *Monopolia* appellare placuit; Variorum horum Monopoliorum multiplices, sunt deceptiones & fraudes, ut dum Mercatores initis sodalitiis, omnia tentando excogitant, ac continuò experiri student, quibus se locupletiores faciant; dum collectis pecuniis alios vincunt, alios præveniunt, alios exaucto rerum pretio deterrent, ac soli emunt omnia, quæ deinceps pro lubitu suo vendunt quamplurimi. *Klock. de ærar. cap. 26. n. 2.* Ad quæ faciunt leg. nost. verba; vers. *Neve quis illicitis habitis conventionibus &c.* huc quoque referes *Recessus Imperii de anno 1548. & 1577.* tit. 28. Die *Monopolia und schädliche auf- und fürkauf belangend / & alios agentes tam de quasi, seu latè sumptis, quam strictè dictis Monopoliis.* Ac horum omnium ratio prohibitionis est, quod justi rerum proximalium pretii definitio, minimè Mercatorum & opificum arbitrio libidinique, inexplebili relinquenda, sed potius legis & Magistratus publicâ autoritate permittenda sit; Hinc quarundam Civitatum illud laudabile rectè memineris, quod iis rebus, quarum quotidianus & necessarius usus est, pretium justum imponi soleat, nec illud arbitrio mercatorum committatur, sic enim avaritiæ & fraudibus via præcludi-

tur, commerciaque faciliora sunt, nec in his Civitatibus metuendum, ut Mercatores conjunctis bursis, collataque omni operâ conspirent, & superfluarum mercium species, ut olei, vini vel frumenti &c. coëmant, illasque donec quod reliquum est distractum fuerit, sub spe futuri lucri suppressant.

§. XIII. Quæcunque igitur sodalitia, fraternitates, compagniæ (*ut vocant*) privatâ auctoritate coalescent, illicita collegia potius nuncupanda minimeque permittenda sunt, *tot. tit. ff. de colleg. illicit.* nisi specialiter SCto approbata *l. 3. §. 1. ff. d. t.* inveteratave consuetudine introducta sint, ipsa etenim non immēritò pro lege custoditur. *l. 32. ff. de legib.* Cùm verò legitimorum Collegiorum munus sit, statuta condere, cavere debent, ne legibus & statutis, publicæ utilitati adversentur *l. ult. Cod. de jurisdictione om. jud. id est:* Ne Monopolium sapiant; Quoniam enim Collegia Societatis civilis pars esse dicuntur, ideo quoque statuta eorum, legibus ad totius Civitatis salutem pertinentibus, contraria, irrita sunt; partes namque singulæ civilis societatis, ad totius Reipub: salutem tendere debent: *Ut ne quis quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat &c.* Pugnat hoc equidem cum justitiâ & charitate Christianâ. Huc pertinent statuta irrationalibia, ut nemo doceat artem, nisi tantò pretiò, vel minore tempore, quàm trienniò vel quadrienniò, cum illa minore doceri possit. *Recess. Imper. Ratisbon. 1594.*

§. 124. Wie dan auch ic. item § seq. 125. Als haben wir ic.

§. XIV. Recensitis hisce pactorum & statutorum exemplis, quædam magis, quædam verò minus Monopoliorum

poliorum naturam sapere, quilibet facilè cognoscere poterit, ideoque non omnia pariter & sine discrezione è repub. eliminanda; sed certis Regulis atque limitibus, ne publicæ præjudicent utilitati, illique incommodum afferant à Magistratu limitanda esse, Nobis interim è Monopolii speciebus vel quasi, hasce retulisse sufficiat, plures qui desiderant, adeant *commentationem synopticam ad h.t. Dn. Ahasver. Fritsch. h.t. Joan. Marquard. de jur mercator. Casp. Klock. de ærar. Joan. Sichard h.t. Christoph. Besold. de ærar.* qui fusiùs hanc materiam pertractarunt.

## SECTIO TERTIA.

*An? quæ? & quatenus Monopolia  
sint licita?*

**M**onopolii definitione, ejusdemque divisione tantisper discussâ, non ineptè hoc loco quærimus, an? & quæ sint licita, quæ illicita Monopolia; quæ quæstio controversiâ non caret; nos sententiæ, tam frequentiori interpretum calculo approbatæ, quam solidis etiam rationibus subnixæ non inviti subscribemus.

§. I. Christoph. Besoldus hoc seculo fragrantis encomii Vir, *in discurs. Polit. de Ærar. c. 3. n. 6.* Monopolia in publicâ pecuniarum indigentia, cum Arist. *I. Politicor. 6.* multisque aliis, quos longo agmine recenset D. Fritsch. *in comment. synopt. c. 10. n. 14.* indistinctè concedit, quam tamen sententiam, cum hac limitatione velim recipias, nimirùm si non aliud remedium supersit, cavendum tamen est ne in commerciis

ciis exercendis, simulque emptionibus & venditionibus, difficultas exinde exsurgat.

§. II. Alios si intuearis, nulla nec Monopoliorum distinctione divisioneque præmissâ, generaliter illicita esse asserunt. *Vid. Just. Mejer. in Colleg. Argentorat. tit. de contrahend. empt. n. 44.* Qui Monopolium quarumcunque etiam rerum, & ad quemcunque usum pertinentium adeo LL. improbatum esse dicit, ut non tantum propriâ authoritate sed Principis etiam rescripto exerceri non possit; *Perez. in prælect. ad Cod. h. t. n. 2.* illud confirmans, indistinctè quoque loquitur; quod ne quidem impetrato Principis Rescripto liceat Monopolium exercere, talia conventicula pactaque inire; quorum sententia non ineptè cum tenore legis nostræ convenire videtur, ejusque principio usque ad verba: *Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi &c.* Accedunt plurimi præterea Monopolia naturâ vetita, & prorsus illicita censentes.

§. III. Alii contra tam latè Monopolia extollunt, ut & virtutem in iis & sagacitatem querant & inventiant, exemplum producunt, Patriarcham Josephum, Egypti Proregem, prudentiâ divinitùs infusâ, & sanctitate præclarum, qui ingentem frumenti copiam, intra septem ubertatis annos coëmit, & in horreis publicis acervatim adservavit, qua inopiaz & famaz venturaz succurreret, quod laudabiliter, ac summâ cum regni utilitate præstítit, aperiendo tunc horrea quæ fertilitatis annis repleverat. videatur *Genes. cap. 41. v. 34. & seqq.*

§. IV. Verùm illa Monopolii extensio nobis non placet, sed cum *Besold. supr. cit. loc.* intrepidè asseveramus, à Josepho Monopolium non fuisse institutum:

tum: Princeps enim annonas & similes res necessarias, quæ ab exteris exportantur, coëmere potest, ut postea tolerabili pretio subditis, cum iisdem indigent, vendere queat, quod consilium fuit Josephi, Pharaoni suppeditatum; actiones enim ex fine aestimantur, & finis Monopoliorum plerumque est, sibi plura habere, alteri pauciora relinquere.

§. V. Præmissis iis accedamus ad resolutionem propositæ quæstionis nostræ: an & quomodo Monopolia sint licita? Sed ne præcipitanter nimis, ad conclusionem progredi videamur, necessarium erit, prius exaudire Nomothetam nostrum Zenonem: Jubemus, (ait) ne quis cujuscunque vestis vel piscis, vel pectinum fortè aut echini, vel cujuslibet alterius ad vivum vel ad quemcunque usum pertinentis speciei, vel cujuslibet materiæ, pro sua autoritate, vel sacro jam elicito aut in posterum eliciendo rescripto, aut pragmatica functione, vel sacra nostræ pietatis annotatione, monopolium audeat exercere: néve quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciscatur, ut species diversorum corporum negotiationis, non minoris quam inter se statuerint venundentur. §. Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi, aliorumque diversorum operum Professores, & balneatores penitus arceantur pacta inter se componere, ut ne quis quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat: Data licentia unicuique ab altero inchoatum & derelictum opus per alterum sine aliquo timore dispendii implere, omniaque hujusmodi facinora denuntiandi sine ulla formidine, & sine judiciariis sumptibus. §. Si quis autem Monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis exposciatus,

C

liatus, perpetuate damnatur exilio. §. Cæterarum præterea professionum primates, si in posterum auctoritate taxandis rerum pretiis, aut super quibuslibet illicitis placitis, ausi fuerint convenientes hujusmodi sese pactis constringentes quadraginta librarum auri solutione percelli decernimus: officio tuæ sedis quinquaginta librarum auri condemnatione multando, si in prohibitis Monopoliis, & interdictis corporum actionibus commissas fortè (si hoc evenerit) saluberrimæ nostræ dispositionis condemnationes, venalitate interdum, aut dissimulatione, vel quolibet vitio minus fuerit executum. Ex quibus omnibus in aperto est, Monopolium non tantum illicitum, sed & poematum in delinquentes statutam esse, illud tamen intelligendum est de Monopolio privato, quod in Reipublica perniciem, privatorumque injuriam suscipitur: Quod fieri solet, ut dictum est, quando quis omnes merces coëmit, easque in tempus caritatis & in opere magnæ, eo animo suppressit, ut postmodum carius & cum injuria aliorum illas vendat, inserviatque libidini & cupiditati suæ nunquam satiandæ; per hanc enim praxin Monopolicam, omnium rerum caritas illicitè in reipublica erumpit, communis plebeculæ detrimentum affertur detruditurque ad inopiam extremitatem.

§. VI. Quocirca Monopolium ergens peccat contra justitiam & jus naturale, quod non vult aliquem cum alterius onere & injuria fieri locupletiorem l. 206. ff. de Reg. Jur. l. 14. ff. de condit. indeb. c. locupletari 49. de Reg. Jur. in 6. Ideoque contra pietatem & bonos mores nulla lex valet, l. filius. 15. de condit. instit. Vult enim id ipsum bonum commune, ad evitanda scandala

scandala morum deformitatem, legum contemptum  
& similia, multaque alia exinde provenientia mala.

§. VII. Peccat quoque qui Monopolium committit, contra jus divinum; maximè enim odiosum & grande peccatum est Monopolium, non solum in foro fori seu soli, de quo ulterius in sequentibus, verum etiam in foro, poli & conscientiæ, quod plurimi latius corroborant, in enucleatione Decalogi, & quidem præcepti, de furto non faciendo & concupiscentia vitanda &c. pugnat namque hujusmodi quæstus illiciti studium, & iniatio rei alienæ, cum dilectione proximi;

§. VIII. Deinde quod Monopolium sit contra jus positivum ex prædictâ lege abundè vidimus, ut licet quis à Principe rescriptum impetraverit, non tamen poterit illo uti, ratio politica hæc est, quod beatitudo civilis vel salus publica, sit ultimus rerum pub: finis, seu salus populi, *juxta LL. XII. tab. suprema lex est.* Et Constantinus in l. 3. C. de precib. Imp. offerend. ait: Nec damnosa Fisco nec juri contraria populari oportet, notanter autem dico concessionem Principis non valere, si manifestum & grave damnum inferat subditis, uti colligere est ex hoc vulgari Germanico:

Auß fürkauff und aufkauff,  
Böser Münze freyer lauff,  
Wird der Arme gefressen auff.

Quare Monopolia rectè quoque prohibentur sequentibus Recess. Imp. de ann. 1524. §. 27. v. Darauff ic. 1526. §. 26. 1529. §. 34. 1532. tit. 7. item 1548. & 1577. præsertim §. 2. Si plures videre desideres remitto te ad Casp. Klock. cap. 26. n. 1. & 2. de Ærar.

C 2 uti

uti quoque ab eodem citat. C. Petrum Denaisium Cameræ Imperial. quondam Adfessorem, & Jurispublici consultissimum Scriptorem in *Jur. Camer.* tit. 194. fol. 254. Non obstat vulgatum illud Doctorum, de apicibus juris, in foro mercatorum disputandum non esse, quod infinitis authoritatibus more suo firmat D. Matth. Berlich. part. 2. concl. 24. n. 47. id enim neutquam hoc vult nec probat Monopolia esse licita, aut esse de apicibus juris, quin potius commercia contra technas, & fraudes negotiantum, quovis modo tueri, cum plurimis aliis & Fritsch cap. 10. in fin. de *Monopol* æquitatis naturalis esse dicimus.

§. IX. Sciendum autem est Monopolia non omnia, pugnare cum jure Naturæ, Divino & Civilis; nam possunt interdum à summa potestate permitti, justa de causa & pretiō constitutō; si nimirum ita suadeat salus publica, juxta illud Tullianum supra allegatum: *Salus publica suprema lex esto.* Et si tanta sit ærarii publici inopia, ut aliunde sublevari, & sine Monopolio res publica conservari nequeat, tum necessitas hoc genus pecuniæ, ex mediis hisce communibus, quæ regulariter Civibus competit, conquirendæ excusat; pecuniæ enim publicæ ac- & conquirendæ ergò, Mons pietatis, ut vocant erigi potest, *Befold.* cap. 3. n. 9. de ærar. publ. &c in argumentum trahi non possunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa c. 78. de *Reg. Jur.* in 6. ceduntque difficultati & calamitati temporum ordinaria jura. Item quod non est licitum in lege necessitas licitum facit. cap. 4. x. de *Reg. Jur.* l. 16. & penult. Ergo omne &c. ff. de legib. Can. 39. caus. 1. quæst. 1. necessitas enim legem non habet; sed ipsa sibi facit legem & legi non subjacet

jacet cap. 2. x. de observat. jejunior. Et aliquando Principem gratiosiorem reddit, qui per Monopolii concessionem ita parcit tributis & oppressionibus vectigalium odiosis, ut subditos tanquam filios propriis laboribus relevet Klock. de ærar. cap. 26. n. 9. & alii quos citat Fritsch. cap. 10. n. 29. & 30. Simile est exemplum illustre quod suprà allegatum est, Josephi Patriarchæ, cum is pro Rege Ægypto præcesset; quamvis illud non pro Monopolio, etiam latè dicto, sed sagacitate potius habendum; sic & sub Romanis Alexandrini Indicatum & Ætiopicarum mercium habebant, ut Strabo loquitur, μονοπωλεῖαν. Hugo Grotius de Jure Belli lib. 2. cap. 12. n. 16.

§. X. Ita quoque Rudolphus Bohemiæ Rex, Alberti Cæsaris Filius, referente Tholos. negotiationem in argenti fodinis Cathnensisibus exercuit, vinum, sal, hordeum, triticum, ad panes & cerevisiam coquendam ex Austria, suisque horreis convexit, preciaque rebus promercalibus, ex arbitrio suo constituit, atque eo in genere mercaturæ Monopolium sibi vindicavit, necessitate namque compulsum se huc descendisse dixit, ut hoc modo summam Ærarii inopiam sublevaret, & debita per utrumque Wenceslaum Reges contracta dissolveret, Fritsch. cit. loc. Sic quoque Lusitanæ Reges, cùm angustissimis Regni finibus coercentur, nec jura suæ majestatis commodè tueri possent, nec subditos rodere vellent, mercaturam abundantissimam & quæstiosissimam, sine contumelia & cum maximo Reipub: commodo exercuerunt. Besold. cap. 3. n. 6. de ærar. publ. & Fritsch. dict. cap. n. 32. Similiter videmus in Dania, Suecia, Livonia, Belgio aliisque locis, magnas sæpe sodalitates salis, cupri, cineris

cineris aliarumque certarum mercium, etiam ab eminentioris dignitatis personis, consensu publico, non sine magno commodo, ad avertendas aliorum plexias iniri & exerceri, quæ certò & limitatò modò in repub: non improbandæ. *Marquard. de jure Mercat.* cap. 7. n. 9.

**§. XI.** Quamobrem tumultuanti hac rerum tempestate, dum sævissimus Christiani nominis persecutor, Venena sua Muhametica per orbem Christianum longè lateque diffundere, & furoris sui telo insatiabiliter ferire quamvis invanum anhelat, Monopolium aliquod invehi posse, nullus opinor negabit, extorquente id necessitate, quæ tum ex iniquo facit æquum, sublatâ iniquitatis causâ: Ut quando in Recessibus Imperii Universales collectæ, cum omnium privilegiorum suspensione ac remotione injunguntur exempla sunt in *Recess. Imp. de annis 1530. §. 138. & 139. 1603. §. 17.* Nachdem es nun ic. 1613. §. 7.

**§. XII.** Hinc minimè probamus Alphonsi Regis Neapolitani factum, qui oleum ac frumentum, & quidquid demum in Apuliâ concreverat, vilissimò pretiō emens concessit, ut summâ premente annonæ caritate, pro lubitu venderet, insuper aliis triticum suum ac oleum alienare minimè permittens, nisi priùs omne suum distraxisset frumentum, teste *Besold. in Discurs. de Ærar. publ. cap. 3. n. 6.* Causa improbati facti est, quod non exigebat id Monopolium utilitas publica, imo ei contrarium erat.

**§. XIII.** Cum autem hoc Ærarii subsidium non sit ordinarium, quod statæ atque ordinariæ Reipublicæ sustentandæ necessitates & causæ exigant, sed plerumque extraordinarium, quando præter spem atque extra

extra ordinem publica necessitas exigit, ut hac ratione & auxilio hoc subveniri opus sit, cavendum Principi, ne in ordinarium degeneret Ærarii locupletandi modum. *Fritsch. cap. 10. n. 44.* Monopolia enim ut loquitur *Besold. loc. citat.* cautis legibus earumque sollicitâ executione sunt præcavenda; Et Principem lento pede ad ea transire decet, nec nisi ex justâ causa urgente, quæ sæpe legem non patitur. *Bornit. libr. 2. de Ærario cap. 1. & Latherus de censu lib. 3. cap. 14. n. 10.* Quæ enim propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. *l. 162. ff. de Reg. Jur.*

§. XIV. Hinc quod de Monopoliorum concessione §. 9. dictum est, illud sub quadruplici cautione cum *Fritsch. cap. 10. n. 35. & seqq.* Velim intelligas. (1) Ne Magistratus sub prætextu necessitatis publicæ, quæ vel planè non, vel non adeo magna subest, Monopolia vel ipsem exerceat, vel aliis præsertim ditoribus, sub emendato privilegio concedat, Extra casum enim necessitatis cuiusdam gravis, & majoris mali declinationem, quæ æquitatem utilitatemque conjunctam habet, hoc medio non est utendum, sunt etenim præcipua fundamenta & fulcra, quibus suadente rerum conditione Monopoliorum nititur concessio. (2) Ne ad huncce Ærarii locupletandi modum, facile configiamus, si utilius, expeditius minusque subditis onerosum suppetat remedium. (3) Ne Monopoliorum gravamen, subditis sit intolerabile, sed bene monente Molinâ moderatum, & cum minimâ ipsorum molestiâ ac detrimento conjunctum, quod fiet, quando mercium, quarum Monopolium exercetur, moderatum precium est constitutum, ne rempubl: plus

plus justo gravent; Ita namque cessabunt querulæ plebis voces. (4) Denique cum hoc remedium sit prægnantis causæ, & plerumque extraordinarium, cavere Princeps debet, ne in hoc limites excedat, causâque Monopolii cessante cervices populi, quod oneris necessitas eis imposuerat, sine intermissione nimium quantum gravet atque premat. Restitutæ sane corporis valetudine, Medici à periculis abstinent Pharmacis, ita Principes, cum Ærarii indigentiam explere, ab ejusmodi violentis atque odiosis abstinent remedii.

§. XV. Posset quis dubitare si Princeps Rescripto addiderit clausulam: Ex certa scientia & motu proprio, se alicui liberum Monopolii usum permittere, an nec hoc valeat? Et quamvis clausula illa communiter sub- & obreptionem tollat, c. si motu proprio de præbend. in 6. & justam concedentis causam inducat; Verum cum in præjudicium tertii nihil operari dicatur, juxta Abb. & Felin. in d. c. si motu, nec hoc impetranti prodesse videtur, scilicet manente causâ fundamentali, in superioribus abundè allegatâ: Si per hoc subditis grave ac intolerabile damnum infligeretur.

§. XVI. Si quæras? an Princeps ex plenitudine potestatis suæ, Monopolium reipubl. damnosum concedere possit, in negativam rectâ ratione procliviores reddimur; Quoniam cum Vasquio dixerim illust. contrav. §. n. 17. part. I. plenitudinem potestatis ad malum & injustum non extendi, aliàs non potestatis, sed tempestatis plenitudinem fore.

§. XVII. Verum quid dicendum, si ipse Princeps, extra necessitatis casum Monopolium exercere velit; Et quamvis Sichardus ad rubric. C. h. t. n. I. materiam hanc

hanc odiosam, omniaqe in Germaniâ & Italiaâ Monopoliorum plena esse dicat, juxta illud in vestibulo lib. 2. cap. 26. allegatum Klockii de Ærar.

*Principibus sua sunt Monopolia & urbibus ingens*

*Cottidiè hinc quæstus surgit, & auget opes.*

Ut hic meritò cum protestatione aliquid decidendum sit, Sichard. dict. loc. Non ideo tamen quæstio isthæc prætermittenda, sed cautiùs examinanda erit, cum non illud quod fit, sed quod fieri debet, attendendum sit. Imo secundùm Besold. d. c. 3. Modicum quamvis ex rebus minutis aucupari lucrum non minùs indignum Principe, quām reprobandum censetur; apud quem non locum habere debet illud:

*Bonus odor lucri quâlibet ex re*

*Sive unguentum sit, sive corium.*

Et prima quidem fronte Monopolium Principi, juxta l. Princeps 31. ff. de Legib. licitum videri posset; Si autem intuearis l. 3. Ex imperfecto. C. de testament. & l. 4. Digna vox. C. de Legib. contrarium verius affirmabis. Esse itaq; distinguendum videtur: Hac ratione, ut existimemus, licere Principi Monopolium exercere, si id suadeat utilitas publica, nec subditi per hoc damnum notabile patiantur; & licet leve quoddam incommodum sentiant, poterit tamen Princeps seu Magistratus in Monopolio exercendo (qua de re plura in superioribus exempla adduximus) licite continuare, quod tamen in privatis secus est, eò quod superioris auctoritate permitti debeat, uti dicemus in §. sequenti; & sic capo d. l. Princeps 31. ff. de Legib. Si autem salus publica nulla subdit, sed contrà reipub: grave damnum afferat, consequens erit, nec Principem Monopolio uti posse, ratio est: Quia tale sine peccato consistere

D

nequit,

nequit, ad cuius evitatem et que Princeps ac subditus tenetur; ita huic recte applicabis dict l. 3. Ex imperfecto. Cod. de testament. & d. l. 4. Digna vox. C. de Legib. Siquidem recta ratio quemque docet, quod tanquam malum & turpe aliis prohibet, sibi quoque servandum esse; cui convenit Edictum Prætoris: Quod quisque juris in alterum statuit, eo ipse utatur, quod habet magnam æquitatem, ut ait I. C. in l. 1. ff. Quod quisque juris &c. subjungens: *Quis enim aspernabitur, idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit;* Idemque Sapientis autoritate, puta Catinis in dist. moral. ut notat Contius textu. in Rubrica. & d. l. 1. comprobatum esse dicimus. c. cum omnes. 6. x. de Constat. Ideoque Princeps contra justitiam peccat, vendendo res ultra verum & justum premium; Quare & is omni nisu, Monopolia aversari, & se ab iis abstinere debet. Appositè Claudianus:

- - - - tunc observantior æqui  
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum  
Censorem parere sibi - - - - Etenim:  
Regis ad exemplum totus componitur orbis.

§. XVIII. Supereft ut quæramus, an in terminis licitis, privati suâ authoritate seu sine superioris consensu Monopolia exercere possint? in affirmativam inclinare videtur Hugo Grotius de Jure Belli ac Pacis lib. 2. c. 12. n. 16. his verbis afferens: *Potest & à privatis institui Monopolium æquo duntaxat compendio: Si impediunt mercium invectionem, aut ideo coemunt, ut pluris vendant, pretiò tamen pro temporis ratione non iniquò, faciunt quidem adversus charitatis normam,* quod multis evincit B. Ambrosius libro officiorum tertio,  
sed

*sed propriè jus alterius non violant. Verùm negantium opinio, tanquam veritati magis consentanea nobis aridet, existimantium, publicā legis, vel Magistratus authoritate concedenda esse, quia aliàs facillimè exorbitant, & ubi incipiunt non subsistunt, aut multa mala Recip. conciliare possunt.*

#### S E C T I O Q U A R T A

*Breviter resolvens, an statuto præscriptione, longave consuetudine Monopolia introduci possint.*

**C**um leges priores per Statutum & Consuetudinem ordinariè tollantur, ut ulteriùs earum ratio non habeatur, videndum; num hoc modò introductum jus Monopolii subsistat.

§. I. Quamuis Principes & Status Imperii, vigore superioritatis territorialis, der hohen Lands Obrigkeit/ potestatem statuta, & leges provinciales condendi habent, est tamen exceptio facienda in publicis Imperii Constitutionibus, communi Principum & Statuum suffragio latis, similiter quæ publicam Imperii utilitatem, commerciorumque libertatem respiciunt.

§. II. Quâ de causâ Imperii ordinibus liberè Monopolica Statuta & Privilegia in grave subditorum detrimentum, citra ullam necessitatem publicam condere ac permittere posse negamus; Quia Princeps vel Magistratus leges suas eo dirigere necessum habet, ut publica utilitas curretur eaque præferatur commoditatibus privatis. Officium namque Magistratus exigit, omnia dirigere ad subditorum utilitatem; unde licet Imperator vel Princeps, Civitati aut Collegio gene-

ralem concessionem faciat, quod possit statuta conde-re, illa tamen si fuerint Monopolica, illicita ac prohibita censentur.

§. III. Ad præscriptionem longissimi temporis quod attinet, etiamsi vim concessionis habeat, gaudeatque jure privilegii; non verò Monopolium, quod utilita-ti publicæ directè adversatur introducere potest. arg. l. jubemus 10. Cod. de SS. Ecclef. Ac Magistratus dissimilatione suâ, saluberrimis Imperii Constitutioni-bus, Monopolia sub gravi pœna prohibentibus, tole-rare adeoque fraudem legi facere nequit. Quin & præ-scribens, semper in malâ fide constitutus est, dum scit, vel scire debet, negotiationem quam exercet, legibus esse damnatam c. possessor de Reg. Jur. in 6. quod com-probant Receß. Imper. de annis 1548. & 1577. §. 2. Hierauß haben wir ic. Quam ob causam Monopolium privilegio & consuetudine licitum fieri nequit, nisi il-lud suadeat utilitas publica.

§. IV. Sed quid si immemoriali præscriptione Mo-nopolium aliquod acquisitum fuerit, an justè ac licite exerceri existimas? Et cum talis præscriptio longè præstantior firmiorque privilegio existimetur, legi re-sistenti deroget, & pro veritate indubitabili habeatur, videri posset quod illa stabiliret Monopolium, idem-que de inveteratâ consuetudine, quæ hominum me-moriā excedit, arg. l. 1. §. ult. de aq. & aq. pluv. ar-cend. dicendum esse; hæc etenim non solum legis vim & potestatem habet l. 32. §. 1. ff. de Legib. c. Dilecti x. de arbitr. Verùm etiam lege aliquando major & potentior est, eamque sàpè vincit. Quæ licet ita sint, & plurimi ideo Monopolia indistinctè tali præscriptione & consuetudine licita esse velint. Nos tamen

tamen negantium sententiam non immerito exosculari: Scilicet Monopolium reipub. directo & graviter nocens, proximoque debitam charitatem auferens, nec immemoriali præscriptione, neque consuetudine inveteratâ stabiliri, & induci posse aut saltem induci & tolerari debere. Quamvis enim immemorialis consuetudo sæpè præsumatur justè, sanctè & magnâ cum ratione introducta Menoch. l. 2. præsumpt. i. attamen non minus in ea, quæ in legibus scripta, spectari & custodiri debet ratio. l. 1. Cod. quæ sit long. consuet.

§. V. Si verò per Monopolium consuetudine introductum, commerciorum libertas nimis constringatur, nulla rei annonariæ caritas exsurgat, nec in proximum debita charitas lædatur, forte tolerari possit, sicque capi debere Sect. 2. §. 13. verb. inveteratae putamus.

### S E C T I O Q U I N T A

#### *De Pœnis Monopoliorum.*

Cum hucusque paucula de Legis Auctore, plura verò de Monopoliorum pactorumque illitorum prohibitione, tanquam priore parte legis, dictum fuerit, de posteriore quoque, quæ de pœnis est, dicendum restat, virtus enim legis est (ut ait Modestinus l. 7. ff. de Legib.) imperare, vetare, permittere, punire. Et quamvis constitutæ pœnæ penitus ferè abolitæ, eò quod (uti in superioribus allegavimus) omnia in Germaniâ & Italia Monopoliorum plena sint, adeoque materia hæc odiosa dicatur; tamen plurimis & quidem postremis Constitutionibus Imperialibus conati sunt invictiss. Imp. Romanieam

restaurare, & velut postliminio restituere, ut ex Re-  
cessibus Imperii supra allegatis cuilibet facile innote-  
scit. Sed cum veritas sua luce radiet, solatii loco hoc  
Stigelii Poëtæ Christiani nobis usurpabimus:

*Tu quod jura petunt, facias, pietatis amore  
Nec metuas quenquam, quisquis obesse velit.*

**S. I.** Ut autem pacta & prohibitions, quæ pœnam  
habent adjectam efficaciores sunt illis, quæ pœnâ va-  
cant: ita & similis legum constitutio est. Qua ratione  
Imp. Zeno hanc pragmaticam sanctionem suam pœ-  
nis gravioribus contra refractarios & transgressores  
præmunire voluit, quas colliges ex sequentibus Con-  
stitutionis nostræ verbis: *Si quis autem Monopolium  
ausus fuerit exercere, bonis propriis ex spoliatus, perpe-  
tuate damnetur exilio. Cæterarum præterea professio-  
num primates, si in posterum, aut super taxandis rerum  
pretiis, aut super quibuslibet illicitis placitis ausi fue-  
rint convenientes hujusmodi se se pœnitentias constringere:  
quadraginta librarum auri solutione percelli decernimus.*  
Pœna igitur Monopolii est bonorum privatio exilio-  
que perpetuas.

**S. II.** Hanc verò pœnam à Zenone statutam, tan-  
quam nimis gravem non semper imponendam esse,  
multi statuunt, cùm fieri possit, ut de re tenui & vili  
factum sit Monopolium, quod tam acerbam pœnam  
mereri non videtur; Quare prudentem ac religiosum  
Judicem considerare debere facti & personarum qua-  
litàtem, & quibus de rebus Monopolium inierint, ac  
tunc pœnam pecuniariam dictare posse; Quinimo si de-  
lictus genus sit vagum & varium, sive ut D.D. loquun-  
tur difforme, quale Monopolii crimen videtur, poten-  
tit sanè Judex pro modo delicti, & circumstantiarum ex-  
arbitrio

arbitrio rationabilem tamen jurique conformem dicere sententiam l. 5. §. 2. in fin. ff. de pœn. l. 11. ff. eod. hæc posterior cum elegans sit, eam huc transcribere placet; sunt autem ejus verba hæc: *Perſpiciendum est judicanti, ne quid aut durius aut remissius constituantur, quam causa depositit.* Nec enim aut severitatis aut clementiae gloria affectanda est. Sed perpenſo judicio, pro ut queque res expostulat, statuendum est. Planè in le- vioribus causis proniores ad lenitatem *Judices esse debent,* in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo tem- peramento benignitatis subsequi. Arbitrium autem illud non est licentia pronunciandi juris, sed est arbitrium boni & jura intelligentis viri, quod religionem con- junctam habet l. 79 ff. de judic. Arbitrium enim omne à jure regi debet. *Can. Judicet 4. caus. 3. quæſt. 7.*

**§. III.** Gravem diximus esse Monopolii pœnam à Zenone dictatam, quam propterea Imperator & Or- dines Imperii *in alleg. Recess.* mitigarunt, non abſolute relegationem perpetuam, sed simplicem & inde- finitam statuendo §. 4. & 5. Und wo. tit. 18. *Recess.* 1548. & 1577. &c.

**§. IV.** Porro hic monendum aliam pœnam legibus Imperii in singulos Monopolias esse statutam, aliam in societas & collegia monopolica. Illorum pœna est relegatio confiscationem bonorum habens adnexam; horum verò bonorum publicatio: & denegatio salvi- conductus, vel concessi irritatio. *dicit. Ordin. Polit.*

**§. 2.**

**§. V.** Verūm Imp. Zeno Monopolam bonis pro- priis exſpoliatum perpetuate exiliī damnari voluit; Cæterarum autem professionum primates, quadragin- ta librarum auri ſolutione percelli decrevit, qui pactis opificum

opificum illicitis v. g. Super taxandis rerum pretiis,  
auctoritatem vel consensum præbuerunt.

**§. VI.** Præterea incident Monopolæ in pœnam L.  
Juliae de annonæ. arg. l. 2. ibid: qui contra annonam fe-  
cerit, societatemque coierit, quo annonæ carior fiat ff.  
ad L. Jul. de annon. Quo propriè referes annonæ fla-  
gellatores & Dardanarios, quorum mentionem SeEt.  
2. §. 9. habuimus. Est autem annonæ hic omne, quod  
ad victum humanum pertinet: Ut frumentum, pa-  
nis, sal, piper, oleum, acetum, carnes, laridum, vi-  
num, palea, fœnum, lignum & similia l. 1. Cod. de ero-  
gat. milita. ann. junct. l. 2. C. eod. Crimen autem frau-  
datæ annonæ est, quod committitur faciendo dolo  
malo quid, quo rei quævis ad victum humanum per-  
tinentis abundantia & commercium in repub: impe-  
diatur d. l. 2. ad L. Jul. de annon. & l. 6. ff. de extra-  
ordinar. criminib. Pœna in reum statuitur pro modo  
admissi, cui recte applicabis d. l. 6. quæ vult: si Dar-  
danarii negotiantes sint, ut eis tantum negotiatione  
interdicatur, interdum relegentur, humiliores ad o-  
pus publicum dentur. Puniuntur & interdum anno-  
næ flagellatores vinginti aureorum pœnâ. l. 2. §. 2. ff.  
ad L. Jul. de annon.

**§. VII.** Notandum autem est, jus confiscandi  
Monopolarum merces ac bona illi competere Magi-  
stratui, qui merum imperium habet, sive altam juris-  
dictionem: Die hohc peinliche Gerichte. per text. dict.  
Recess. §. 2.

**§. VIII.** Notarios sive Tabelliones, qui pactio-  
nes monopolicas scripserunt, aliqui publicationis bo-  
norum pœnâ plecti existimant. Praxi tamen nostro-  
rum temporum, hoc casu magis convenire arbitrantur  
alii:

mutatio

alii: pœnam infamiae & amissionis Notariatus. Novissima sanè Maximiliani I. Imp. Constitutio an. 1512. de Notariis. Certam pœnam super illicitis contractibus, instrumenta (quæ tamen §. 15. eod. prohibentur) conscribentibus non statuit, sed eam arbitrio Judicis committere videtur, quod & nobis placet.

### SECTIO SEXTA & ULTIMA

#### De Pœnis Magistratum Legem contra temeratores non custodientium.

**S**olent sc̄epissimè Judices cerebrinō affectu ac pravā corruptione in transversum rapi, minimè attendentes, puras Deo, Imperatori & legi servandas esse manus, Nov. 82. cap. 9. in fin. hinc rectè (ut lex citius ad executionem perveniat) in Magistratus quoque pœna statuitur; Lex enim sine executione, est tanquam campana sine pistillo. l. 2. §. 13. d. O. J.

§. I. Hos pravos Judicū adfectus, & intercurrentes aliorum corruptiones, in Constitutione sua de Monopoliis præcavere voluit Imp. Zeno, gravem in Judices eam non exequentes pœnam statuens, his verbis: *Officio tuæ sedis (Præf. Præt.) quinquaginta librarum auri condemnatione multando, si in prohibitis Monopoliis, & interdictis corporum actionibus commissas forte (si hoc evenerit) saluberrimæ nostræ dispositio- nis condemnationes, venalitate interdum aut dissimula- tione, vel quolibet vitio minus fuerit executum. Venalitate inquit Imp. hoc est vitio δωροφαγίας, quod sacra pariter & profana turbat, quia pecuniæ & bonis, proh dolor! omnia obediunt.* Porro Imp. Zeno in verb.

E

dissimu-

*dissimulatione vel quolibet vitio &c. prohibet Judicium  
vel Magistratum conniventiam , quæ delinquendi  
præbere solet occasionem , & omne aliud vitium , quo  
humanum pervertitur judicium : nimirum , metus , cu-  
piditas , odium & amor . Juxta illud Savanorolæ :*

*Quatuor ista : timor , munus , dilectio rancor  
Sæpe solent hominum rectos pervertere sensus .*

**§. II.** Magna quoque , aut etiam major fuit Imperatorum in Imperio nostro cura , in coercendâ atque puniendâ Magistratum negligentiâ , qui si praxi Monopolicam in Republicâ non tollant , Monopolasq; statutâ poenâ non afficiant , Cæsareus Fiscalis seriò eos commonere debet , negotia monopolica , intra mensis spatum ut emendent , poenisque vindicent ; Quod si verò Magistratus , illud præfixo statutoque tempore neglexerit , tunc ipse Procurator Fisci ex officio contra eum procedere debet *Recess. Imp. de Annis 1532.  
tit. 7. 1548. & 1577. §. 5. & 6.* quorum verba , licet ad rem plurimum faciant , tamen brevitatis amore hic non subjungimus ; si Magistratus autem negligentiae conventus , & peractus , condemnabitur in poenam centum marcarum auri puri . *dict. Recess. de An. 1548. & 1577. §. 7. & 8.* Constitutionis verò Zenonianæ quinquaginta librarum auri condemnatio est .

**§. III.** Alii denique hoc delictum , si magnum & enorme sit , severissimâ poenâ amputatione nempe capitis dignum judicant , vid . *Marquard. lib. 4. cap. 6. n. 40.* quorum opinionem nostram sine expressâ lege aut constitutione non facimus , putant illi Monopolium publicum esse furtum , quod omnem & totam regionis partem populatur & vastat , & quibusvis pri- yatis quoque , quibus angusta res domi est , id quod habent ,

A 18 05(35) 50 ROD

habent, aufert. Maledicetur itaque in populis, qui abscondit frumenta, benedictio autem super caput vendentium inquit Salomon *Proverb.* 11. v. 26. Caveat igitur in quantum fieri poterit Respublica insidiosa illa quorundam Monopolia, & tot constitutionibus severè prohibita, quibus fiscus Principis interdum nutritur, & pauperum sudores depascuntur. Caveat etiam sedulo, ne fraudes in commerciis permittat, nec remittat, fraudulentibus publica & privata miserorum commoda, pœnas; Mercatores quoque seriò prospiciant fibi, ut bonâ mente & bonâ conscientia, in publicum & proximi bonum negotiations instituant, ne contra charitatem & justitiam peccent. Mercatura & omnis negotiatio primùm ad honorem Dei, tum publicum, & proximi bonum institui debet; privatum commodum meritò ultimò intendi debet. Alias mercatura fit proximi capturâ, & merito in eam & ejusmodi mercatores insurgit Ambrosius, Mediolanensium illud fulgidum olim sidus, *m.c. Ejiciens dist. 88.* O Mercator seculi, comparator inferni, cur in fraudem & deceptionem convertis naturæ industriam? Cur affectas rerum defectus? Cur optas pauperibus sterilitatem, ut domui tuæ compares dolosam fœcunditatem? Etenim lucrum tuum multorum est damnum! O quò vadit anima; Homo enim Mercator vix aut nunquam potest Deo placere; *d.c.* quantò minus igitur Mercator Monopola (de quo nobis hucusque ex professo instituta fuit *Dissertatio*) Deo placebit!

*Hic igitur nostram teneat jacta anchora puppim  
Sitque honor æterno, qui regit astra Deo.*

E 2

COROL.



## COROLLARIA.

I. **M**ulierem Creditoribus expressam anteriorem hypothecam habentibus ratione dotis præferri non dubitamus.

**F**ur qui rupto laqued cecidit in terram, non liberari, sed denuo suspendi debet.

**S**ubditos contra prohibitionem Principis venantes, ferasque capientes, ultimô ac capitali suppliciô afficiendos esse quamvis durum, nec facile tam gravis pena infligenda videatur, tamen si hoc delictum sœpius iteretur, ex justo præscriptio rectè infligi, sicque defendi posse statuimus.

**L**ibros Feudorum ex præscriptione authenticos esse factos autoritatemque legis obtinere, & nos cum ad illis asserimus.

**D**uobus investitis de feudo is præfertur, cui prius possessio feudi tradita est.

F I N I S.

E

COROL

Duisburg, Diss., 1661-99  
(1)



Sb

KD7






# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



JURIDICA  
ALIS,  
actica  
1683  
OLIIS,  
TER OPT. MAX.  
ORITATE  
Consultissimis  
RDINIS,  
e est Duisbur-  
nemiam,  
ORATUS  
URE Honoribus  
timèque  
itioni subjicit  
VENS, Phil. Doct.  
PHALUS.  
Decembr.  
NUM,  
cademiac Typogr.  
II.

6 152